



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum homicidii dupliciter potest incurri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Histrionum pec. 309

Vel diuina ponendo res fidei aut Ecclesie in locum. Vel iniuriosa, despiciendo alios. Aut adulatoria, &c. Peccant quoque secundum locum, tempus, negotia & personas: dum horum aliquid non considerant aut paruifaciunt. Peccant & tertio ex fine, nimis placere cupientes hominibus. Quando autem in huiusmodi peccatum mortale interueniat, non facile dixerim: quia iocosè hæc dicuntur & fiunt. Verumtamen in iis quæ ex suo genere sunt mortalia (vt iniuriæ diuinorum & hominum, & similia) nisi paruitas offensæ excusat, quia modicum pro nihilo reputatur, peccatū mortale incurritur: quia licet iocositas excuset à tanto, non tamen à toto. Propterea huiusmodi autem annexa histrionatui, ab Aug. tantopere damnantur histriones & dantes eis: vt habes in decretis, distin. lxxxvi. c. donare, &c. qui venatoribus. el primo,

Peccatum homicidii dupliciter potest incurri.

Homicidium (hoc est illicita hominis occisio) peccatum mortale est, contra iustitiam & charitatem. Et quia occidere hominem dupliciter contingit (vel per se, hoc est intentione occidendi: vel per accidens, hoc est præter intentionem) si est ex intentione, est illicita ex triplici capite. Vel ex parte hominis occidendi, quia non meretur mortem. Et hinc semper occidere innocentē est illicitū: nisi per accidens iudex excusetur in casu in quo oportet ipsum secundum allegata & probata damnare innocentem ad mortem. Et similiter per accidens excusatur, carnifex exequens sententiam iniustam, non continentem errorem manifestum. Et similiter excusantur milites subditi in bello occidentes, ex obedientia ad bellum reputatum iustum, quanuis secundū secretam veritatē sit iniustum, accidentes: juxta illud August. contra

V 3

Mani

Homicidium per se. 310

Manichæos: Vir iustus si fortè etiam sub Rege & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est vel utrum sit, certum nõ est: ita ut fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo feruendi. xxiii. q. i. quid culpatur. Vel ex parte occidentis: quia scilicet publicam auctoritatem nõ habet supra illius occidendi vitam. Et hinc semper est mortale occidere ex intentione hominem absque publica auctoritate: nec ullam noui exceptionem. Hinc enim homicidii rei sunt non solum ex vindicta, rixa, &c. occidentes, sed etiam qui se ipsos defendendo, alios occidunt: hoc est ideo se defendunt ut occidant vel non sunt defensione contenti nisi occidant: quum solummodo in foro conscientie liceat eis occidere per accidens, hoc est ideo occidere quia se defendunt, quia non possunt aliter se defendere nisi occidant. Iuxta hoc caput (scilicet ex parte occidentis) peccatum accidentaliter interuenit, si mala sit occidentis intentio, ut quamuis iusta sit occisio, occisor tamen ex odio vindictæque liuore mandat aut exequitur. Hoc enim accidentale omnino est: quia ex mala intentione etiam opera misericordie polluuntur, & non solum hæc iustitie opera.

Vel ex parte modi occidendi: quia scilicet non seruato iuris ordine, scriptum est enim: Iuste quod iustum est exqueris. Deuteronom. xvi. Et hinc homicidii sunt rei occidentes veneno vel aliis secreto de mandato dominorum non citatos, non auditos, non damnatos, etiam si læsæ maiestatis dicerentur rei. Nec excusat auctoritas principis, etiam si constaret principi, ut personæ priuatae quod meretur quis mille mortes: quonia scientia & potestas currunt pari passu: hoc est quod oportet potestatem publicam moueri à
scienti

Homicidium per se. 312

scientia publica, & secundum illam regulari. Nec hoc est de iure positiuo vt possit princeps legibus solutus non seruare, sed est iuris naturalis: exigit namque naturæ actus publici (qualis est iusta occisio hominis ex publica potestate) vt sit ex publica voluntate, & publica scientia alioquin nec causæ sunt subinuicem commensuratæ (dum potestas est publica, & scientia est priuata) nec adhibentur causæ commensuratæ effectui dum actio potestatis publicæ ponitur exire à scientia priuata. Sunt igitur homicidæ & principes & consulentes & exequentes occisiones hominum indemnatorum ex publica scientia.

Nec excusat (quam alligaret princeps) ratio scandalu vitandi, aiunt enim persuadere necem conantes, quod illum mortem mereri constat clarissimè: sed vt honor illius & familiæ, & dignitates seruetur, & vt scandalum vitetur, oportet ipsum sine iudicio occidere cum dexteritate, sunt enim diabolicæ artes ad excusandas excusationes in peccatis. Nec propterea damnamus iudices qui repertos in flagranti crimine notorio (vt latrones in viis & huiusmodi) statim suspendi iubent, interuenit siquidem ibi notorium facti, loco accusatoris & testium, faciens publicam sententiam, & excitans publicam voluntatem & potestatem ad publicum iustitiæ actum. Et hinc videre potes non excusari officiales & sub dominos quibus à regibus iubetur vt aliquem inauditum sine vlllo crimine notorio capiant ac decapitent, si iussa perficiunt, debent siquidem obedire quantum ad capturam & custodiam (quia hoc ex rationabili causa potest Rex iubere) sed non quò ad occidendum: quia hoc non potest Rex absque scientia publica iubere: scientia autem publica non est nisi tripliciter, scilicet vel ex propria confessione iudicialia, vel ex probatione iudicialia, vel ex notorio facto. Vnde vbi nullus inter-

312 Homicidium per acci.

uenit actus iudicialis nullumque extat notorium crimen, non est exequendum principis mandatum, ad necem proximi. Nec excusat obedientia tanquam in dubiis, quia non est subditi discernere superioris iudicium: quoniam hoc habet locum in iis in quibus princeps potest bene & male iubere non autem in iis in quibus certum est eos esse homicidas, quale est mandatum propositum.

Hinc quoque mortaliter peccant iudices, qui non seruato iuris ordine damnant ad mortem aliquos etiam si morte sunt digni: si tamen aliquid de substantialibus omittitur, puta sufficientia testium: est enim tunc iudex ipse homicidii reus, quoniam occidit hominem non ut ius seruans & dicens. Ex his demum clare habes quod occidere seipsum, semper est illicitum: quoniam occiditur homo contra naturalem charitatem sui ipsius, & contra iustitiam quum nullus sit sui ipsius iudex nec propriae vitae dominus, & quilibet sit pars ciuitatis, & solus Deus sit qui occidit & viuere facit.

Homini occisio accidentalis dupliciter considerari potest, ad hoc ut in peccatum occidentem inducat.

Occisio autem hominis per accidens (hoc est praeter intentionem) illicita ex duplici capite inuenitur, vel ex immoderata actione, vel ex negligentia. Et ex primo quidem capite, infiniti sunt modi iuxta plurima immoderata opera ex quibus potest occisio hominis praeter intentionem operantis euenire. Nam & immoderata sui aut proximorum, aut rerum defensio, illicitam reddit inuasoris occisionem: quae si moderata esset, non ei ad peccatum imputaretur mors inuasoris: nam non solum seipsum, sed proximum) ve
Aubr, in primo de officiis testatur: & habetur xxiii. quae.